12.

Anno Domini M°CLXIX. Murus Erffordensis a Cristiano archiepiscopo Maguntinensi promissione imperatoris denuo reformatur. — K2. cf. H. l. ampl.

Anno Domini M°CLXX°. Lodewicus Lodewici lantgravii filius cum ingenti gloria magnisque expensis gladium ab imperatore Frederico Erffordie in ecclesia beate Marie virginis accepit. Eodem anno Albertus Marchio obiit. — K2.

Anno Domini M°CLXXII°. Imperator Fredericus, coadunato exercitu versus Poloniam ivit. Qui cum fines Polonorum intraret, more solito arridente sibi fortuna, dux Polonorum Misico obviam sibi veniens, dextras petiit et accepit, non parva pecunia, annuente etiam Lodewico lantgravio cum imperatore ibi existente, et sic[a] revertitur imperator cum suis. Inde in Thuringiam regressus in castrum principis Lodewici Nuvinburgk se recepit; ubi per aliquos dies, ob[b] eiusdem sororii sui sororisque amorem remansit. Circuiens intrinsecus edificia considerabat singula; que omnia sibi summe placuerunt, excepto quod tam inexpugnabili castro murum non validum nec solidum asserebat. Quod audiens lantgravius, in proxima nocte murum huic castro edificaturum, cui in confinio non esset similis, se promisit. Quod mirans imperator, mane, cum surgeret, invenit murum, viris fortissimis galeatis ac loricatis, cum clipeis ac gladiis ubilibet,

ita

cem

a) et^c pro et sic c.

et^ac

b) ab c.

f. 111'